

XXII. Respondeatur, quod S. Thomas nomine pœnitentia interioris non intelligit solum dolorem illum prout antecedit confessionem, et est actus virtutis disponens ad gratiam; sed loquitur de illo dolore ut subsequitur sacramentum, et causatur ab illo. Dicit enim S. Thomas in hac quæstione, art. ad tertium: « Quod totum illud simul (id est, confessio et absolutio) est causa secundi, id est, pœnitentia interioris, quæ est res et sacramentum simul. » Est autem causata illa pœnitentia, seu dolor ab absolutione, non ut præcise disponit ad gratiam, ex ipsa natura virtutis; sic enim nihil recipit a sacramento, sed antecedit ipsum, et causat confessionem; causatur autem ab absolutione et sacramento, quatenus accipit vim et elevationem ad operandum gratiam sacramentalem, et causandum ex opere operato; quod maxime convenit illi dolori in quantum ordinat hominem ad claves Ecclesiæ, et detestatur peccatum cum subjectione ad illas; quæ subjectio et ordinatio etiam in sacramento informi manet, et sic accipit elevationem ad causandum gratiam ex opere operato, de facto quidem et in actu secundo, si nulla obstat indispositio: si autem sit aliquid impedimentum, tantum in actu primo.

XXIII. Quod totum expressit S. Thomas in iv, dist. xxii, quest. I, art. i, quæstiuncula ii ad primum ubi inquit: « Quod pœnitentia interior potest considerari dupliciter; uno modo prout est quidam actus virtutis: et sic interior pœnitentia est causa exterioris, si ut in aliis virtutibus actus interiores sunt causa cæterorum: alio modo prout est actus operans ad sanationem peccati (scilicet modo sacramentali) et non solum dispositio; et sic pertinet ad pœnitentia sacramentum: et ita interior pœnitentia non est causa

exterioris, sed effectus vel signatum ipsius. Non enim habet efficaciam operandi contra morbum peccati, nisi ex suppositione propositi exterioris pœnitentiae, et desiderio absolutionis. » Ecce quomodo ipsa pœnitentia, seu dolor interior, non ut præcise est actus virtutis, sed ut operans ad sanationem peccati (utique ex opere operato) est effectus sacramenti; atque adeo est res et sacramentum (de hoc enim in illa quæstiuncula loquitur S. Thomas) et hanc efficaciam sic operandi ex opere operato contra morbum peccati (quæ est gratia sacramentalis sanativa) ex Christo habet ex desiderio absolutionis, quod pertinet ad illum dolorem, prout ordinatur et subjicitur clavibus Ecclesiæ.

ARTICULUS VI.

Utrum detur sacramentum pœnitentia informe?

I. Quid intelligamus nomine sacramenti informis articulo quarto declaratum est, videlicet non quod caret forma sacramentali absolutio- nis (hoc enim non est sacramen- tum) sed quod caret forma sanctifi- cante subjectum, id est, ipsa gratia, quæ est effectus sacramenti: et sic inquirimus, an possit dari sacra- mentum pœnitentia, quod in re verum sacramentum sit constans sua materia et forma, careat tamen effectu gratiae justificantis.

II. Et sumitur fere tota ratio dubi- tandi ex eo quod in hoc sacramento eadem attritio est materia, seu pars sacramenti, et dispositio, nec potest unum ab alio separari: ergo nunquam stat hoc sacramentum esse validum, quin sit formatum. Patet consequentia, quia non potest esse validum sacramentum, quin constet

DISPUTATIO XXXIII. ARTICULUS VI.

materia et forma: ergo si materia, qua constat sacramentum, est dis- positio ipsa ad gratiam, repugnat quod sacramentum habeat mate- riam, et non habeat dispositionem ad gratiam, vel si istam non habet, neque materiam habet, et conse- quenter non subsistit sacramentum. Antecedens vero probatur;

III. Tum, quia Concilium Tridentinum sess. xiv, cap. iii et iv, non distinguit inter attritionem, quæ est dispositio, et quæ est pars sacra- menti: ergo neque nos distinguere debemus, docet enim Concilium: « Quod ea ratione actus pœnitentis sunt partes sacramenti, quatenus ad integratem sacramenti, et ad plenam et perfectam remissionem peccatorum ex institutione Christi requiruntur. » Non requiruntur autem ad plenam remissionem peccatorum, nisi quatenus sunt dispositio perfecta ad ipsam: ergo ea ratione sunt materia, quæ sunt dispositio.

IV. Tum etiam, quia ut attritio sit materia sacramenti, debet esse talis, quod super illam possit verificari forma: absolutio autem a peccatis non potest verificari super attritionem, quæ non est dispositio, quia remota dispositione, non potest de tali subjecto verificari quod absolvitur a peccatis, licet verificetur quod sacramentum absolutionis illi impenditur, vel quod absolvitur ab obligatione iterum confitendi (hoc enim non est absolvita a peccatis, quia hoc non est remitti peccata) idem autem est absolvita, quod remitti.

V. Tum denique, quia ut attritio sit materia sacramenti debet esse supernaturalis, et detestativa pecca- ti cum ordine ad claves Ecclesiæ, ut articulo iv diximus, sed non amplius requiritur ut attritio sit vera disposi- tio ad gratiam, quam quod sit de- testatio peccatorum ex motivo su- pernaturali (verbi gratia, ex metu inferni) cum subjectione ad claves

Ecclesiæ, ut sumitur ex Concilio, capite iv citato: ergo idem dolor est dispositio ad gratiam et materia sacramenti.

VI. Propter has rationes aliqui ex antiquis tenuerunt non posse dari sacramentum pœnitentia validum et informe, pro qua sententia aliquos canonistas refert Silvester verbo confessio i, §. xxvi, idque sequuntur Major in iv, dist. xvii, quæst. iii, art. ix; Gabriel ibidem quæst. ii; Adrianus quæst. v de confessione, dubio v, et aliqui recentiores probabilem reputant, videturque etiam succurri posse ex S. Thoma in iv, distinct. xxiii, quæst. i, art. ii, quæst. ii in corpore, ubi ponit pro effectu pœnitentia: « Remissionem peccati existente contritione, quæ est de essentia sacramenti pœnitentia: » ergo sentit sine contritione non salvari essentiam sacramenti; posita autem contritione certum est ponit remissionem peccati, quem locum afferit pro ista sententia Suarez hic disput. xx, sect. v, num. ii.

VII. Alii oppositam sententiam te- nent, et est sine dubio S. Thomæ, qui de hoc facit expressum articu- lum, et resolvit posse dari confes- sionem informem, in iv, distinct. xvii, quæst. iii, art. iv, quæst. i. Qui locus correspondet in additionibus ad tertiam partem, quæstione ix, articulo primo. Sequuntur S. Thomam ejus discipuli, et communi- ter omnes doctores, Paludanus et Richardus eadem distinctione xvii, quæst. viii; Capreolus ibi quæst. ii; Soto in iv, dist. xviii, quæst. iii, art. ii et iii; Cajetanus tomo primo opusculorum, tractatu v, quæst. v; Cano relectione de pœnitentia, quæst. v; Ledesma, Silvester, Navarrus, Co- varruvias, quos citat et sequitur Suarez loco citato, et Nugno tom. ii de sacramentis, quæstione ix de confessione, art. i, dubio i, ubi sen- tit oppositam sententiam esse im-

probabilem. Et præter istos auctores antiquos et classicos, plures ex recentioribus eam communiter sequuntur, et in praxi servatur, quia non iterantur omnes confessiones, de quibus postea cognoscitur aut dubitatur fuisse informes. Unde hanc sententiam nota aliqua vel censura inurere, intolerabilis præcitatio est.

VIII. Ut rem illam explicemus, suppono ex duplice capite provenire posse quod aliqua confessio sit informis, licet sit valida, scilicet, ex defectu examinis, vel ex defectu doloris, qui dolor (ut supra diximus) requirit respectu præteriorum universalem detestationem de peccatis, respectu autem futurorum propositum efficax evitandi illa. Ex defectu examinis facilius multi credunt et intelligunt sacramentum informe, quia licet examen requiratur ad integrum confessionem faciendam, tamen ista integritas regulatur penes diligentiam et curam quam ponimus circa recordationem peccatorum, et vix potest sciri in particulari quanta diligentia et cura sufficiat, ut quis satisfaciat huic obligationi, et sic relinquatur arbitrio prudenti et morali modo facienda.

IX. Res autem istæ arbitrariæ magnam habent latitudinem, potestque aliquando aliquis persuaderi juxta arbitrium suum quod sufficientem fecerit diligentiam, et tamen quod non sit sufficiens coram Deo, et secundum prudentiam; unde cum semper fere possit aliquis esse dubius de sufficientia juxta arbitrium suum facta, si confessio non esset valida, nisi quando in re esset sufficiens, nunquam possent conscientiae esse quietæ, quia stante dubio de validitate sacramenti, tenerentur homines repetere illas confessiones, quod esset onus intolerabile, et in tanta hominum multitudine moraliter impossibile; quare

hoc ipso quod Christus Dominus instituit pro isto sacramento materiam dependentem ex arbitrio et diligentia humana, oportuit non regulare illam juxta id quod est in re, et vix potest cognosci, sed juxta id quod modo humano et morali fieri potest, etiamsi aliquando deficiat id quod requiritur ad effectum sacramenti.

Quare tota difficultas est circa defectum ex parte doloris, propter rationem datam a principio, quia revera dolor est materia et pars sacramenti, ut sæpe dictum est ex Concilio Tridentino, nec alias dolor institutus est pro materia, quam qui requiritur ut dispositio.

X. Nihilominus respondemus etiam ex parte doloris posse dari sacramentum informe, et assignari debere aliquem dolorem supernaturale ex motivo, qui sit sufficiens ut sit materia sacramenti, non vero ut sit dispositio ad gratiam. Et fundamentum præcipuum, et quasi a priori est in assignando tali dolore. Potest tamen etiam quasi a posteriori sumi fundamentum conclusio- nis; tum ex convenientia cum aliis sacramentis; tum ex inconvenienti quod sequitur de obligatione sæpius iterandi confessiones.

XI. Ex convenientia cum aliis sacramentis constat, quia convenientis fuit Christum Dominum instituere alia sacramenta ex materia et forma, quæ posset esse omnibus nota, et non relinqueret sacramenta sub dubio communiter et ordinarie (quod a fortiori currit in hoc sacramento, propter gravissimam obligationem de iteranda confessione, si sacramentum validum non sit) nihil autem est nobis occultius, quam cognoscere et perpendere efficaciam et valorem actuum interiorum, secundum quod requiritur pro dispositio ne ad gratiam; unde si ex una parte Christus Dominus institueret pro materia hujus sacramenti actus hu-

manos dependentes ex cura et diligentia humana, et ex alia parte vellet quod solum essent materia sacramenti quando re ipsa haberent omnes conditions requisitas pro dispositione ad gratiam, esset relin querre hoc sacramentum in magna perplexitate; et cum alias sit omnino necessarium ad salutem pro his qui peccant post baptismum, esset tota salus nostra dependens ex magna incertitudine, cum fere nunquam possemus esse certi de sacra mento isto poenitentiæ valide susceppto, quod non solum pareret scrupulos et inquietudinem, sed etiam ad desperationem videtur cogere.

XII. Et ex hoc noscitur illudmet inconveniens quod proposuimus agendo de defectu ex parte examini; et S. Thomas proponit loco supra citato in argumento Sed contra, quia quilibet tenetur ad iterandam confessionem invalidam, si quidem tenetur confiteri peccata non confessa; quæ autem invalida confitemur, confessa non sunt, sed si requiritur pro materia confessionis illa attrito quæ in re disponit ad gratiam, et non alio modo, idem est confessionem esse validam et hominem esse in gratia: ergo tantum potest quilibet dubitare de valore confessionis, sicut potest dubitare an sit in gratia: ergo non poterunt assecurari conscientiae nisi repetendo et iterando confessiones, quia quoties prudenter dubitatur de validitate confessionis, tenetur quis illum repetere, quia illa peccata reputantur pro dubiis, id est, invalide confessi: hoc autem est gravissimum et intolerabile onus, præser tam in tanta hominum multitudine: unde si in aliis sacramentis convenientis fuit quod possent dari sacramenta valida et informia, multo magis in hoc sacramento id necessarium fuit, propter præceptum confitendi peccata, quod toties urget,

quoties invalide sunt confessa, vel prudenter de eo dubitatur: est autem magnum inconveniens, et scrupulis atque anxietatibus plenum, nunquam posse fideles reddi securos de liberatione ab illo præcepto repetendi confessionem.

XIII. Veniamus ad præcipuam probationem (scilicet, ad assignandum quomodo et quando possit reperiri dolor sufficiens pro materia sacramenti, licet non sit sufficiens pro dispositione ad gratiam) potest autem assignari ex triplici capite, quæ supra diximus requiri ad attritionem formatam. Primo enim requiritur, quod sit dolor supernaturalis: se cundo, quod sit universaliter de omnibus peccatis præteritis: tertio, quod sit cum efficaci proposito excludendi peccata de cætero, et cum spe veniæ. Ex primo capite assignant sacramentum validum, sed informe, auctores qui sentiunt non requiri ad valorem sacramenti super naturalem dolorem, sed naturali sufficere, licet requiratur super naturalis ut infundatur gratia: quam opinionem articulo iv exclusimus, et diversos modos illam explicandi, ut quod sufficiat dolor existimatius supernaturalis, sive id proveniat ex ignorantia culpabili, sive invincibili; nam si semel requiritur super naturalitas doloris ex parte materiæ et institutionis Christi, nihil suffragatur ignorantia, quia materia sacramentorum non regulatur estimatione nostra, sed institutione ipsa prout servatur in re. Quare pro certo relinquimus, non solum ad rationem dispositionis, sed etiam ad materiam hujus sacramenti requiri dolorem supernaturalem, id est, ortum ex motivo supernaturali, et cum ordine et subjectione ad claves Ecclesiæ; qui ordo etiam supernaturalis est.

XIV. Ex secundo ergo capite voluit assignare hunc casum, in quo

sacramentum sit validum et informe pater Suarez hic disput. xx, sect. ix, num. vii, ubi docet, posse hoc sacramantum esse informe ex defectu attritionis, non intensivo, sed extensivo, proveniente ex inculpabili ignorantia; quod est reducere hunc defectum ad defectum integratis potius quam qualitatis ipsius attritionis, quia videlicet potest pœnitens inculpabiliter confiteri cum attritione aliorum peccatorum, sed non omnium quæ commisit, et tunc erit validum sacramentum, sed informe, quia ut sit validum sufficit confessio et attritio de omnibus quæ occurunt memorie inculpabiliter: ut autem quis consequitur gratiam, debet attritio esse de omnibus peccatis mortalibus, quæ quis commisit, nam sine pœnitentia interiori nullum mortale peccatum (etiam in sacramento) potest remitti, quantumcumque ex ignorantia inculpabili aliquis non habeat dolorem de tali peccato.

XV. Hæc sententia Suarez valde difficilis est, et contra illam statim se offert difficultas, quia peccata inculpabiliter oblitera (id est, quæ diligenter cogitanti non occurunt) in universum inclusa intelliguntur in confessione, pro quibus fideliter cum propheta dicimus: *Ab occultis meis munda me, Domine*, ut inquit Concilium Tridentinum sess. xiv, c. v; ergo etiam manent inclusa talia peccata oblitera in ipsa attritione, qua fit talis confessio. Antecedens est expressum in Concilio; consequentia vero probatur, quia impossibile est aliqua peccata manere inclusa in confessione, et non manere inclusa in attritione, quia illa confessio informatur tali dolore seu attritione; ergo idem est manere inclusa in confessione, et manere inclusa in attritione, cum qua fit talis confessio; sed cum illis peccatis obliteris justificatur homo in tali con-

fessione, quia pro illis dicit propheta: *Ab occultis meis munda me, Domine*: quæ mundatio non fit sine remissione peccatorum; ergo etiam cum tali attritione non extendente se ad peccata oblitera nisi virtualiter, justificatur homo.

XVI. Nec valet differentia quam Suarez conatur ponere inter integratem confessionis et integratam attritionis, quod integritas confessionis solum est de præcepto, non de necessitate medii; unde quomodo cumque satisfiat illi præcepto, confessio manet integra formaliter; pœnitentia autem interior est medium per se requisitum ad remissionem peccati; ergo si respectu alicujus peccati hæc attritio non extenditur, illud non manet remissum, quia non applicatur ei medium per se necessarium. Cæterum hæc solutio nullo modo stare potest cum verbis Concilii, si quidem Concilium non solum admittit quod stante tali peccato oblitero post diligentem discussionem manet confessio integra, sed etiam quod habet effectum, si quidem dicit, quod pro illis peccatis oblitis: « Fideliter cum propheta dicimus: *Ab occultis meis munda me, Domine* » illa autem mundatio de occultis sive oblitis, est peccatorum remissio et justificatio: ergo talia occulta seu oblitera manent mundata. Vel ergo ad illa extenditur attritio seu dolor, vel non; si non extenditur, ergo sine extensione attritionis non solum datur sacramentum validum, sed etiam formatum, quod negat Suarez, et ruit ejus sententia: si extenditur non formaliter et expresse, quia illa peccata sunt oblitera: ergo virtualiter: ergo ad peccata inculpabiliter oblitera extenditur virtualiter attritio. Neque est major ratio quod una attritio extendatur et non alia, nam Concilium universaliter loquitur de omni peccato oblitero, quod manet inclusum

in confessione et remissum: ergo quæcumque attritio virtualiter extenditur ad omnia peccata oblitera: ergo sufficiens est ad remissionem illorum: ergo nunquam ex defectu extensionis confessio est informis.

XVII. Nec potest dici, quod Concilium loquitur solum in casu, quo confessio fit cum contritione, et non solum cum attritione, eo quod contritio cum sit formata charitate, extenditur virtualiter ad omnia peccata, quia amat Deum super omnia, attritio autem non extenditur sic, et ideo indiget formaliter applicari cuiuscumque peccato.

XVIII. Sed hæc non est expositio Concilii, sed additio, si quidem Concilium loquitur generaliter de omni confessione, scilicet de illam, de qua dixerat præcedenti capite: « Quod attritio ad Dei gratiam impetrandam in hoc sacramento disponit, et statim in capite quinto loquitur de eadem confessione, quando fit cum sufficienti examine: ergo sine fundamento restringitur ad solum confessionem factam cum contritione. Sane cum in confessionibus ordinariis longi temporis, in quibus plura sunt peccata mortalibus, communiter aliqua maneant oblitera, præsertim peccata cogitationum, si ab obtinendam gratiam in talibus requireretur vel contritio formata charitate, vel attritio sine ulla oblivione peccati, vix possemus aliquid sperare de talibus confessionibus, quod maxime retraheret homines ab isto sacramento, et scrupulis ac desperatione circa suam salutem repleret, nec putandum est ita coarctasse Christum Dominum viam salutis, ut stante obliteratione invincibili de aliquo peccato, non posset per attritionem cum sacramento quis justificari.

XIX. Quapropter alia via assignamus defectum attritionis, cum quo stat sacramentum esse validum, sed

informe: nempe quando attritio est supernaturalis tam ex parte motivi, quam ex parte ordinis ad claves Ecclesiæ; sed tamen vere et realiter non habet efficax propositum excludendi peccata, aut veram spem veniam, licet ipse id ignoret. Supponimus enim talem hominem adhibuisse sufficientem diligentiam in examine, tum ad recordandum de peccatis, tum ad excitandum dolorem, et omnino esse oblitum naturaliter de efficacia propositi, et spe vera concipienda, tunc enim in re illa voluntas non est sufficiens ad excludendum peccatum, seu disponendum ad illius remissionem, quia efficaciter non vult recedere ab illo, licet ipse id putet ex ignorantia, cum tamen ad talem dispositionem expresse Concilium requirat illas duas conditiones attritionis, nempe quod habeat voluntatem excludendi peccata cum spe veniae.

XX. Itaque oportet bene notare, quanta subtilitate et discretione locutum sit Concilium de dolore, quatenus est pars sacramenti, et consequenter sufficiens ad validitatem illius (quia quod sufficit ut sit pars sacramenti, sufficit ut sacramentum sit valide constitutum) et de ipsam attritione quatenus est dispositio ad interpretandum effectum sacramenti, qui est remissio peccatorum, nam cum loquitur de attritione, seu dolore ut est pars et materia sacramenti, solum dicit sess. xiv, cap. iii: « Quod isti actus pœnitentis hac ratione dicuntur partes sacramenti, quatenus ex institutione Christi requiruntur ad integratatem sacramenti, et ad plenam perfectamque peccatorum remissionem: » ubi ly quatenus, et ly hac ratione significant Concilium loqui de partibus sacramenti in sensu formalis, id est, sub ea ratione qua sunt partes: ad hoc autem ut sint partes, seu materia sacramenti, non explicat Conci-